

Hist. Sax. inf.
211,40

MEMORANDUM

Handwritten notes in a grid, including a large sketch of a figure or object.

Faint, illegible handwritten text in a grid.

Saxinf. Vol. 4. de Juri. Brunsv. Lunck

MEMORIA FERDINANDI

SER. DVCIS BRVNSVICO-LVNEBVRGENSIS

PRAESIDIS SVI HONORARII

PIE CELEBRATA

A SOCIETATE REGIA SCIENT. GOTTING.

DIE XX. OCTOB. MDCCCXCII.

INTERPRETE

CHR. G. HEYNE.

Quod decreto vestro, Sodales, collegis, qui ad meliores abierunt, persolui solet officium, vt eorum memoria publico confessu habito recolatur: eo quidem cum consilio, vt eorum virtutes et merita de nostra rep. litteraria, diligenti recensu facto, altius animis ad sempiternam memoriam infigantur: id multo magis decernendum esse iudicatis in honorem eius, qui suscepto ante hos tredecim annos Societatis instauratae praesidio res nostras, tenues eo tempore et imbecillas, recreauit et fouit, firmatisque per tot annos decori et ornamento fuit. Est enim ea litterarum conditio ac fortuna, vt se ipsis contentae, etsi hoc ad sapientiae laudem praeclarum sit, illae nec praesidii satis ad celebritatem habeant, nec virium ad tutelam sui et incolumitatem: quandoquidem ea, quae ab hominum iudiciis proficiscuntur, non ex nostra veri rectique perspicientia, verum ex illorum opinione apta et nexa sunt; neque adeo ad laudis et honoris praemia consequenda satis est, rem praeclare gerere, multa et magna meditari, meritis litterariis antecellere; nisi alios, imprimisque eos, in quorum manu ista praemia habentur, eo adduxerimus, vt et ipsi de nobis ita statuunt: ad multitudinem autem, vt litteris aliquid tribuat, hoc ipsum est potentissimum, si apud viros principes

eas aliquo in loco esse, illosque earum studiosos esse viderit. Verendum itaque est, ne, si potentium virorum suffragia eleuando nobis placemus, fastus potius et arrogantiae reprehensionem, quam modestiae aut constantiae laudem consequamur, idque non minus merito nostro, quam illi merito suo vanitatis aut stolidae iactantiae accusantur, qui omnem virtutis laudem a potentibus expectant, iisque assentando et affectando seruiliter obsequuntur. Ipsa enim rerum humanarum conditione et natura ita comparatum est, vt litterae secessus et studia priuata requirant, nominis autem fama et celebritas a multitudinis iudicio proficiscatur, quod non facile ab ipsis litteris aut viris litteratis, verum ab iis regitur, qui principe loco habentur. Bene autem nobiscum actum esse putabimus, si modo inter viros principes sunt, qui aliquam laudem et amplitudinem ex hoc ipso parare sibi velint, vt praesidium ac tutelam litterarum suscipiant. De quorum paucitate cum per omnia tempora magna facta sit conuestio, iusta interdum, saepe iniqua: tanto vtique insignior habenda tantoque magis debita laude ornanda est virtus eorum principum, qui ex literis tuendis et fouendis laudem aliquam in se deriuare voluerint; multo autem magis exultandum nobis erit, si litterarum honorem curae cordique habeant principes illi, qui, rebus praeclare gestis ipsi famam et gloriam consequuti, non habent quod a virorum doctorum laudibus seu veris seu ementitis, saltem emendicatis, claritatem expectent. Etsi summi et pacis bellicae artibus excellentes viri semper ita iudicarunt, vt rerum gestarum memoriam nec satis inter homines propagari, nec ad posteritatem diu superstitem esse putarent, nisi ab hominibus litteratis hoc consequuti essent, vt illi litteris eam consignarent; amplitudini itaque suae laudis ita consulere maluerunt, vt litterarum decora et ornamenta ipsi inspicerent ac curarent. Verum nec minus tulit omnis aetas viros genere, loco, dignitate, meritis illustres, qui, cum excellens ingenium a natura et bonarum litterarum sensum praestanti institutione accepissent, non tam vanae laudis cupiditate, quam ipso litterarum amore et vtilitatum decorumque, quae ab illis proficiscuntur, intelligentia, litterarum studia ipsi sunt prosequuti hominesque doctos et litteratos beneuolentia amplexi: quorum se suffragium tulisse, studium ac fauorem sibi conciliaisse si senserint viri docti, habere vtique putandi sunt, cur fortunae aliquid se debere existiment; dummodo dignitatem suam ipsi satis tueantur, vt, quae a potentium consortio profi-

profi-

proficisci possunt, utilitates nec fastidiose spernant nec nimis cupide appetant, quae autem litterarum disciplinis praesidia et ornamenta per eam societatem parari possint, diligenter circumspeciant ac provideant.

Quae cum ita sint, Auditores, non sane erat, quod Societas nostra aut vanitatis et ostentationis crimen incurrere, aut suis rebus male consulere videri posset, cum Ferdinandum, Principem omni virtutis laude clarissimum, qui litterarum studium insigne, Georgiae autem nostrae, cuius conservator ille inter perniciosissimi belli furores habebatur et erat, amorem eximium prae se ferebat, Praesidem sibi adscisceret. Verum referendus est animus ad ista tempora et res, quibus magna vestrum, Sodales et Auditores, pars interfuit, quorumque adeo recordatio et vobis esse potest iucunda et aliis haud molesta auditu, ad ea autem, in quibus declarandis versamur, necessaria. Ante hos XXV. annos, erat is saeculi sexagesimus octauus, cum recens adhuc esset calamitatum belli per septem annos exitiosissimi, simulque virtutum et laudum immortalis Principis Ducis Ferdinandi, et sensus et memoria, id, quod diu in votis habueramus, obtigit, ut eum cupiditas incesset visendi academiam nostram. Quare nuntiata, incredibile est dictu, quam erecti et recreati sint omnium animi. Liberator ille patriae salutatus, quacunque incederet, heros rerum gestarum magnitudine et felicitate per omnem Europam spectatissimus, conuertebat omnium ora in se non minus corporis dignitate ac venustate, quam oris suavitate, sermonis comitate et affabilitate. Nunquam alias tanta viri magni admiratione percussos vidimus hominum animos aut ita defixos oculos. Fuerunt hi dies inter maxime festos ac sollennes, quos Georgia Augusta vidit; habitae sunt recitationes coram Principe publicae ac priuatae, delati in candidatos honores academici, et curatum omne genus sollennium, quae academiarum fortunae conuenire possunt. Fuit inter ea et hoc, ut confesso habito ac recitatione facta Societatis Scientiarum Sodalibus honorariis adscribi haud dedignaretur. Mansit ab hoc inde tempore inter nos, incredibili comitate et humanitate Principis recreatos, insignis eius caritas; cumque aliquot annis post (sub exitum anni LXXVII) Hallerus rebus humanis esset ereptus, et circumspiceretur, qui in Praesidis locum succederet, nec tamen in litterario ordine is

reperiretur, visum est Sodalibus Praesidem honorarium cooptare, qui nominis splendore, loci ac dignitatis fortunaeque amplitudine, res nostras ornare ac sustentare posset. Ita facile conuersi sunt omnium animi et vota tacita in Ferdinandum: tentataque eius voluntate, consulto Consilio Regis sanctiore, et impetrata per illud Regia sanctione, annuit votis nostris summa cum facilitate Princeps indulgentissimus, et Praesidis honorarii locum in Societate nostra occupauit, quod euentum habuit ineunte anno LXXX a). Nostis, Sodales, qui his rebus interfuisistis, quanta tum fuerint congratulationes, cum ita prouisum esset Societatis incolumitati, dignitati et splendori. Habuimus quoque anno inde altero (erat is LXXXII.) Praesidem nostrum in hoc ipso loco ac consessu praesentem nostrisque studiis propitium; b) et curam suam amoremque Societati testatus ille est verbis honorificentissimis, quoties ei aut rerum nostrarum rationes redderemus, aut noua commentationum volumina mitteremus; nec nisi preces nostrae desuere, quo minus ampliora in nos conferret. Erat enim in eo cum facilitate summa coniuncta liberalitas et munificentia, magnanimitas et magnificentiae splendorisque amor, qualis inesse solet animis ad magna natis; c) sed, quod raro eiusmodi ingeniis ingenitum esse solet, ad haec accesserat in eo mollis humanitatis sensus, pronus ad miserationem affectus, et procliuis ad opem miseris ferendam voluntas: itaque ille habitus communis eorum, qui fortunam aduersam experti erant, portus et perfugium. Qua eius liberalitate, quae cum tanta comitate coniuncta erat erga omnes, qui aut adirent optimum principem aut litteris compellarent, adeo sibi hominum animos adiunxerat, tantum animis sui amorem et caritatem instillauerat, ut vix vllum alium commemorari posse putem principem, qui tam late per terras ac gentes tantos sui amores excitaue- rit, tantam hominum nec vnus populi multitudinem sui tanquam illecebris delinierit, alios beneficiis, officiis alios ac benemeritis, omnes volun-

a) v. *Gel. Anz.* 1780. p. 497. *Commentationes* Vol. III. Praefat. p. iv. et p. xvii sqq.

b) v. *Gel. Anz.* 1782. p. 993 sq. *Commentat.* Vol. V. Praef. p. iv. et *Comment. hist.* p. i.

c) Conuenit in eum, quod de Stefichoro dictum legimus, animam ἐπιφανε- στέραν neminem habuisse: Phalaridis Epp. 98.

voluntate et humanitate sibi deuinxerit; amabatur quia alios amabat, beneuolentiamque, si fieri poterat, re, sin minus, comitate sermonis affectusque veritate testabatur.

His ipsis virtutibus factum est, vt tum quoque, cum a rerum actu recessisset, vita eius magna ex parte illustraretur. Ita enim praeter spem et expectationem, atque etiam praeter vota publica euenit, vt rebus magnifice gestis quod reliquum fuit vitae otio et vita priuata exigeret. Multos itaque audiuius fortunam accusare, quod heroi rebus gerendis nato in otio fuit consensendum. Apparuit sane et in hoc viro, quam iniqua sint hominum iudicia, quam leues ac mutabiles voluntates. Recentibus enim eius meritis quantum fuisse admirationem meminimus! at eidem cum singulis annis aliquid vidimus detractum; quatenus saltem de vulgi sensu et affectu quaeritur. Scilicet haec est illa de ingratis ciuibus ac popularibus per omnes aetates magnorum virorum conquestio; languescit cum ipsis annis meritorum sensus, obtunditur tandemque exolescit memoria. Quae quidem fortuna multis tam acerba et intolerabilis visa est, vt ingrata patria excederent, aut cum Achille Homero vita breuitatem gloriosam praeferrerent longae vitae obscuritati. Occurrit quoque in scriptoribus simile iudicium, cum eorum, qui rebus gestis claruerant, postquam ad vitam priuatam redierunt, otium obscuritatis nomine dehonestarent, aut eorum infortunium lamentarentur, qui, cum antea in ore omnium versarentur, postea non nisi familiaribus noti viuerent. Videntur adeo illi clarorum hominum vitam similem esse velle tragoediis, quae non facile vulgo probantur, nisi caedibus et vulneribus scena perstrepat. Quo quidem iudicio vel hac de causa vti nolim, quia sic statuere necesse est, quicquid praeclarae rei geritur, vanae gloriae causa geri vulgique voces pro summo virtutis praemio habendas esse; a quo iudicii errore longe absunt ingenia erecta et generosa, quibus ipsa virtus merces est pulcherrima, et pulchre factorum conscientia omni potior est rumore, fama et plausu multitudinis, quae tantum abest, vt de laudis veritate iudicare possit, vt eam pari temeritate bene meritis modo impertiat, modo deneget et in inmeritos cumulet, aliis inuideat, aut, quos modo laudibus in caelum extulerat, contumeliis oneret. Est sane aliqua felicitas, si cui contigit mors matura in medio rerum secundarum

cundarum cursu, quatenus desiderio tenemur illius, a quo plura beneficia expectaueramus. At enim aliis fortuna hoc dedit, ut praeclare de patria meriti vitae priuatae commodis et otii dulcedine tanquam mercede fruatur: qua quid esse potest praeclarius, si virtutes publicas priuatis virtutibus cumulent? si, quotquot virum adierint, magnarum rerum gestarum recordati, admiratione eius ac reuerentia teneantur? Nec vero, ubi materies, locus ac tempus magnarum rerum gerendarum deest, iis gerendis claritas parari potest, neque histrioni peragere licet fabulam, ut velit, atque per omnes fabulae actus mirabiles rerum euentus interponere, quando ipsae partes, quae mandatae sunt, leniorem actionem requirunt. Multos nouimus ex omnibus aetatibus viros, rebus gestis claros et insignes, qui vitam priuatam inter ciues suos, aut in agro et opere rustico exegerunt, quorum nomina ad posteritatem ita peruenerunt, ut famae et claritati nihil per hoc ipsum detractum sit. Inprimis in ciuitatibus et populis liberis hoc euenire necesse fuit, ut summis imperiis gestis ad vitae priuatae conditionem redirent viri summi; et fuit illa Romanae reipublicae iamiam riturae prima praesensio, quod ii, qui imperia per multos annos continuauerant, non intelligebant, esse quoque vitae priuatae virtutibus et studiis illustrandae vias et rationes. Quid? quod omnino nemo facile inter clarissimos viros fuit, qui totam vitam rebus magnis bello ac pace gerendis exigeret; summi heroes famam immortalem non factorum et annorum longa enumeratione, sed vnus aut paucarum strenue aut sapienter gestarum rerum claritati debent. Omnino vnus cuiusque vita certa tantum sui parte, in quam tempora rerum gerendarum inciderant, inclaruit; nisi aliquis, fortuna Alexandri vsus, in ipso rerum secundarum cursu morte fuit praereptus. Nec ipsi viri docti, qui aliquam nominis sui famam reliquerunt, per totius vitae decursum noua famae alimenta aut fomenta subdiderunt. Neque adeo recte viri magni notio institui videtur sic, ut illum per totam vitam non nisi factis magnificis, illustribus et gloriosis vacasse velimus. Denique etiam in vita priuata res magnae, si non inter vulgus clarae, at consilio, prudentia, vtilitate, etiam clariores geri et curari possunt. Quae si ita se habent, non videntur recte sensisse, qui Ferdinandi Ducis vitam priuatam et ab armorum strepitu remotam obscuritatis nota insignirent. Etiam in otio suo clarus ille et insignis fuit, sed aliis virtu-

virtu-

virtutibus, aliis studiis, aliis curis, in quibus fuit, quod per litteras ille a summis omnium populorum viris, rei militaris ac ciuilibus studiis ac peritis, de rebus grauissimis consultus est, quodque nonnullarum grauissimarum rerum euentus ab eius consiliis narrantur esse profecti. Atque vtinam nostrae aetati contingeret aliquis, qui vitam tanti viri, et ipsum eius otium, accurate et cum veritatis fide describeret; id quod tanto magis votis nostris expetendum esse ducimus, quo his ipsis diebus vir praestantissimus, a quo rerum a Ferdinando per bellum cum Francis gestarum candide et cum fide per scriptam expositionem expectabamus, fatis iniquis ante opus publice exhibitum nobis est ereptus.

Ceterum nouissimum vitae spatium Ferdinandus omnium sapientium exemplo sapientiae pietatisque studiis exegit; si enim Pythagorei totam vitam mortis meditationem esse voluere, extremis saltem vitae humanae annis conueniens hoc studium putamus omnes, vt mortem meditemur. Etenim etsi, diutissima quamuis, mortis contemplatione ipsa mortis necessitas non mutatur, nec tollitur; nec vita, quae virtutibus et factis nullis fuit expleta aut ornata, vllum nouum decus et ornamentum inde consequitur; atque omnino vitae, virtutis famaeque aestimatio non ex morientis, sed ex viuientis actu instituitur: non tamen alienum esse videtur, vt is, qui iam iter sibi ex hac vita ineundum esse videt, ad illud se accingat et vasa colligat, aut, quod multo melius est, ex vita ante acta viatica, quae virtute publica ac priuata, consilio, fortitudine in ferendis rebus aduersis, humanitate et sedulitate in minuendis aliorum aerumnis, sibi parauit, in promptu habeat et ante oculos ponat. Ita Ferdinandus abdicauit se rebus humanis easque valere iussit; vitamque rebus bellicis, postea studiis vitae priuatae gloriosam et illustrem ita finiit, vt immortalem sui famam ad omnem posteritatem superstitem relinqueret; conuenitque in eum hoc, quod sepulcro Atilii Calatini inscriptum narrat Cato apud Ciceronem: *plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.*

Nobis autem, Sodales et Auditores, si quidem eo, quo nos dignatus est, honorifico iudicio et amore digni videri volumus, nomen Principis optimi per omne tempus carum et sacrum habebitur,
nec

nec nisi cum sensu pietatis et caritatis recordatio eius vnquam animos subibit; et saepe, quando rerum ab eo gestarum memoratio inciderit, infixam erit mentibus ista cogitatio, hunc virum herois loco aliquando a popularibus habitum hanc Societatem litteratam Praefidis nomine ornasse, eaque ipsa cogitatione vellicati excitabimur ad munia nostra cum fide et industria obeunda, vt digni habeamur Sodalitio, cui aliquando Praeses fuit immortalis heros Ferdinandus.

...

...

...

